

*Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.*

## I. Übersetzung

1 Multi autem et sunt et fuerunt quia eam, quam dico, tranquillitatem animi expertentes a  
2 negotiis publicis se removerint ad otiumque perfugerint; in his et nobilissimi philosophi  
3 longeque principes et quidam homines severi et graves nec populi nec principum mores  
4 ferre potuerunt vixeruntque nonnulli in agris delectati re sua familiari. His idem  
5 propositum fuit, quod regibus, ut ne qua re egerent, nec cui parerent, libertate uterentur,  
6 cuius proprium est sic vivere, ut velis.  
7 Quare cum hoc commune sit potentiae cupidorum cum iis, quos dixi, otiosis, alteri se  
8 adipisci id posse arbitrantur, si opes magnas habeant, alteri, si contenti sint et suo et  
9 parvo. In quo neutrorum omnino contemnenda sententia est, sed et facilior et tutior et  
10 minus aliis gravis aut molesta vita est otiosorum, fructuosior autem hominum generi et  
11 ad claritatem amplitudinemque aptium eorum, qui se ad rem publicam et ad magnas res  
12 gerendas accommodaverunt.  
13 Quapropter et iis forsitan concedendum sit rem publicam non capessentibus, qui  
excellenti  
14 ingenio doctrinae sese dediderunt, et iis, qui aut valetudinis imbecillitate aut aliqua  
15 graviore causa impediti a re publica recesserunt, cum eius administrandae potestatem  
16 aliis laudemque concederent. Quibus autem talis nulla sit causa, si despicere se dicant  
17 ea, quae plerique mirentur, imperia et magistratus, iis non modo non laudi, verum etiam  
18 vitio dandum puto.  
19 Sed iis, qui habent a natura adiumenta rerum gerendarum, abiecta omni cunctatione  
20 adipiscendi magistratus et gerenda res publica est; nec enim aliter aut regi civitas aut  
21 declarari animi magnitudo potest. Capessentibus autem rem publicam nihilo minus  
quam  
22 philosophis, haud scio an magis, et magnificentia et despicientia adhibenda est rerum  
23 humanarum, quam saepe dico, et tranquillitas animi atque securitas, siquidem nec anxi  
24 futuri sunt et cum gravitate constantiaque victuri. Quae facilitiora sunt philosophis, quo  
25 minus multa patent in eorum vita, quae fortuna feriat, et quo minus multis rebus egent,  
26 et quia, si quod adversi eveniat, tam graviter cadere non possunt. Quocirca non sine  
27 causa maiores motus animorum concitantur maioraque studia efficiendi rem publicam  
28 gerentibus quam quietis, quo magis iis et magnitudo est animi adhibenda et vacuitas  
29 ab angoribus.